







13.  
Pri. 31. num. 17.

1773, 30.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
EXCEPTIO SENATVSCONSVLTI  
MACEDONIANI LOCVM  
HABEAT IN CAMBIO  
FILIIFAMILIAS

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE

*P. 247*  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISVVRGENS.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XIX. IVNII ANNO MDCCCLXXIII

DEFENDET

CAROLVS FERDINANDVS SENGEVVSCH

OSTERFELDENS.

LIPSIÆ

EX OFFICINA LANGENHEMIA.






EXCERPTA  
HABENT IN  
TITULIS

MISSIS  
D. CAROLUS

ONIA  
CANONICUS






AN  
EXCEPTIO SENATVSCONSVLTI  
MACEDONIANI LOCVM HABEAT  
CONTRA CAMBIVM FILII  
FAMILIAS.

---

§. I.



I nter ea capita, de quibus eruditi dissentiunt inter se de Senatusconsulto Macedoniano, agitur controuersia: *An exceptio SCti Macedoniani possit opponi, si ex cambio a filio familias dato agitur.* Adfirmant alii, alii negant, et omnes sane opinionis rationes addunt, quamuis haud adfirmem, eas rationes semper ex veris iurium argumentis depromtas esse. Quapropter, vt eo rectius iudicium ferre queamus, et cambiorum naturam examinabimus paulo accuratius, et quae ciuillis iuris rationes sint in SCto Macedoniano, dabimus.

§. II.

In hac integra quaestione nobis nullum est negotium cum cambiis illis qualificatis seu trassatis, quae, vt probabiliter sentiunt docti, antiquiores sunt, quamuis, ipsorum natura recte perspecta, nunquam, romanis cognita fuisse cum *illustr.* AYRER, quem exigua rerum similitudo fefellit, adferam. Nobis de cambiis illis propriis, quae et simplicia



dicunt, sermo est. Sunt, qui cambia haec ex variis iuris romani figuris et contractuum formulis iudicant; quod mea quidem sententia valde absolum a vero, quasi ea, quae romana haud videntur toga, imperfecta, absurda atque intollerabilia sint. Indulgeo haec nimiae iuris Romani venerationi, sed haud imitor; suis enim quibusque rem relinquam originibus. Erit, et est cambium obligatorium, licet ad nullum romani iuris contractum referri possit. Si ad ea, quae in cambio simplici ex iure obveniunt, respicimus, facile patet, scriptam esse obligationem ex conventionne, et talem quidem, quae celerissimam et promptissimam contra eum, qui obligationi non facit satis, producit executionem vel in ipsam personam, vel in bona illius, pro uti leges de cambiis latae aut consuetudines statuunt. Si ergo cum romanorum negotiis comparandum esset cambium, ad literarum obligationem referrem, quod quoque placuit LEYSERO *Medit. ad π. Vol. II. Spec. CXXXIII. med. 2.* quamvis in ipsa promptissima expeditione et strictissima executione maximopere differat a chyrographo. Neque enim ex chyrographo executio ipsa cum condemnatione coniungitur, quale quid quotidie ex cambiis videmus, per quorum recognitionem illius autor et condemnatus habetur, et statim arresto includitur, ni satis statim faciat creditori.

§. III.

Sicuti vero in obligatione scripta causa debendi exprimi eaque diuersa esse possit, ita in cambio causa ea, ex qua obligatio venerat, poni debet. Quo se refert controuersia de exprimenda *valuta*. Licet enim in quibusdam Ordinationibus Cambialibus dispositum, ut *cambium* obligatorium sit, licet *valuta* expressa non sit, quale quid in *Leipziger Wechselordn.* §. III. *Breslauer Wechselordn.* §. II. quod ex ea opinione venit, ex qua chyrographum pro obligatorio habent, licet in eo nulla



nulla debendi causa expressa; tamen in regula debendi causa  
 per valutam exprimi debet in cambio. Concludo inde, cam-  
 bia illa simplicia magis referri debere ad accessorias obliga-  
 tiones, quam ad principales. Neque haec opinio quotidiana  
 repugnat experientiae. Fac mutuum accipere Caium a  
 Sempronio: quoties fieri solet, ut de reddendo debito secu-  
 ritatis causa creditor cambium exigat a debitore. Est ergo  
 mutuum principalis, cambialis contra accessoria obligatio. Sic,  
 si Seius Paulo adhuc ducenda ex vendito deberet, nouatione  
 haud interueniente, haud raro emtor venditori cambium dat,  
 quo eum de solutione exacte praestanda magis securum reddat.

§. IV.

His de cambiis praemissis, adhuc de SCto Macedoniano  
 quaedam praemittamus. Cum saepissime contingeret, ut in-  
 ter eas causas, quae adolescentium Romanorum animos cor-  
 rumperent, foeneratores deprehenderentur, qui pecunias cre-  
 derent, quo genio suo indulgere possent. Fiebat itaque, ut  
 non tantum illi adolescentes perirent, verum etiam ubi semel  
 ad improbum viuendi genus atque ad vitia et flagitia adfueti  
 fuerant, quo suis foeneratoribus contracta debita soluere ex  
 paterna haereditate possent, ipsos parentes necarent. Mede-  
 lam huic malo ponendam censuit Senatus, et cum primam  
 corruptionis causam in foeneratorum credendi facilitate depre-  
 henderet, in horum odium legem dedit, hisque prohibuit  
 quo minus amplius filiis familias mutuas pecunias crederent,  
 et si credidissent, statuit, ne actionem neue petitionem ad re-  
 petendum debitum vnquam habeant. Paret hoc ex *L. i. π.*  
*ad Sct. Macedon.* Directo itaque lex filiis familias mutuum  
 haud prohibet, sed ne quis credatis pecunias, negata ad repe-  
 tendum actione, mutuum contrahendi facultatem adimit. Si-  
 cuti vero haec legis prohibitio ad solam pecuniam numeratam  
 pertinet, ita illa prohibitio non actionem parit, sed tantum



exceptionem, si scilicet contra legis auctoritatem nihilominus pecuniae filiofamilias creditae sint.

## §. V.

His monitis, iam ad propositum thema veniamus. Diximus, dissentire eruditos circa exceptionem SCti Macedoniani cambio filiofamilias opponendam. Indefinite adfirmat BERGERVS in *Oecon. Iur. Libr. III. Tit. II. thes. II. not. 6.* MENCKENIUS in *Vsu theor. Pract. ad ff. Tit. de SCto Maced. §. 5.* et WERNHER in *Obseru. for. T. I. p. 1126.* Recte opponi posse exceptionem filiofamilias, si ex cambio a se dato conueniantur: causam quaerunt in eo, quod *cambium pro mutuo palliato* sit habendum. Testantur insuper, hanc opinionem vsu fori comprobari. Sed sicut in se falsa est ratio ex palliato mutuo desumpta, sic ex pronunciandi formulis vsum fori indistincte non adfirmarem. Potest enim contingere, vt in hanc vel illam opinionem sententia feratur, quae vel interposita Leuerratione vel adpellatione dein corrigitur. Cum ergo ea sententia antea lata non abierit in rem iudicatam, sed potius in altera, vel superiori instantia correctae fuerit, quo iure ex ea formula pronunciata fori vsum adfirmem, nisi simul probare possim, in suprema instantia formulam illam confirmatam fuisse. Praeterea falsum est, omne cambium esse palliatum mutuum. Dari potest pallium non ob mutuum contractum, sed ex quocunque iure vel negotio legitimo ex quo quis alteri debet pecunias, poterit cambium dare, vt ergo eadem ratione pro palliata emtione, locatione vel alio valido negotio haberi posset.

## §. VI.

Alii contra negant exceptionem SCti Macedoniani cambio filiifamilias obici posse. Ita sentit SIEGEL in *der Einleitung zum Wechsel-Recht, P. I. Cap. I. §. 5.* Quo suae sententiae pondus addant, argumentum quaerunt in licentia filiifamilias concessa dandi cambium. Concludunt: si lex non prohi-



prohibuit, quominus filii familias cambia dare possint, voluit et permittit lex, ut obligationem cambium habeat. Fieri itaque nequit, ut exceptio S<sup>c</sup>i Macedoniani hanc cambii obligationem impediatur. Sed nec huic argumento in omni parte subscribam. Licet enim lex cambia indulgeat filiis familias, tamen ad negotium respiciendum videtur, super quo cambii securitas a filio familias data. Hac vero sententia posita, in fraudem S<sup>c</sup>i Macedoniani possent valide filii familias mutua contrahere, quamvis lex prohibuerit, tummodo cambium creditori dent; Sed ita nefas ageretur.

§. VII.

Quare distinctius causam decidendam puto. Sicuti enim in Saxonia illa inutilis videretur quaestio, quippe filiis familias cambiandi ius penitus negatum, ut patet ex APPEND. ORD. PROCESS. RECOGN. §. XI. ita in ea quaestione ante omnia respiciendum, an lex provinciae cambia dandi ius relinquat filiis familias, et ad stipulor opinioni SIGELII c. 1. Cap. II. §. 2. scilicet affirmantis, si in legibus cambialibus filiis familias cambia non sint prohibita, valide ab iis per cambia contrahi obligationem posse. Posito itaque, licere filio familias dare cambium, iam distinguo negotium principale, cui cambium accessit, ab accessoria cambii obligatione. Quapropter si filius familias de contracta obligatione lege non prohibita cambium dederit, dubium non est, quin tunc valide obligetur, neque exceptione S<sup>c</sup>i Macedoniani, quippe quae ad mutuum tantum pecuniam concepta, actor ex cambio agens repelli possit. Fac ergo filium familias alteri debere pretium rerum emtarum dato insuper cambio, cui inscripta formula: *Valuta durch Waaren empfangen*, valebit vis cambii, nec locus erit exceptioni S<sup>c</sup>i Macedoniani, quippe quae ad mutuum restringenda.

§. VIII.

Sed contra, si ex cambio apparet, contraxisse filium familias



lias mutuam dato cambio, utpote si formula legatur: *Valuta  
 baar empfangen*, vel si aliis quibusue verbis conceptum sit cambi-  
 um, ut exinde appareat, mutuas accepisse filium familias pecu-  
 nias: verioremi puto sententiam, qua adfirmatur, exceptioni  
 SCti Macedoniani locum concedendum esse. Cum enim tunc ne-  
 gotium principale obligatorium haberi nequeat, accessorium ve-  
 ro ex qualitate principalis iudicandum, certum est eandem exce-  
 ptionem cambio obesse, quae principali obest negotio, et sic re-  
 cte cambio filii familias, cui alias cambia dare licet, nihilominus  
 exceptio SCti Macedoniani obiciatur, quippe alias per cam-  
 bium fraus fieret legi.

§. IX.

At, si ex cambio non appareat, quale sit principale negotium  
 ad quod cambium datum sit, ut propterea ipsum cambium pro  
 principali habendum, an tunc obici possit SCti Macedoniani ex-  
 ceptio. Et hac specie ea exceptio cambio obici non poterit, quip-  
 pe cui nulla obesse potest exceptio, nisi in continenti ea sit liquida.  
 Sed an nihilominus, si opposita sit, fundamentum fieri possit re-  
 conventionis? Et adfirmandum cenfeo, ex eo, quod si postea pro-  
 bare velit filius familias, cambii valutam ex mutuo prouenisse, et  
 probet, cambium valeret in fraudem iuris, quod creditori et actio-  
 nem et petitionem negat. Neque obstat, quod iura filio familias,  
 si debitum sponte soluerit, negent indebiti repetitionem, quod  
 videlicet naturaliter debebat. Nam si etiam cambio obici non po-  
 tuerit exceptio cum effectu, ut ob rigorem cambii solutio prae-  
 standa, tamen haec solutio pro spontanea, quae repetitionem solu-  
 ti adimit, haberi nequit. Causa enim solutionis factae non latet  
 in soluentis arbitrio, sed in ratione ordinis processus, ut ergo  
 semper ad reconventionem salua esse exceptio SCti Macedo-  
 niani debeat.



ULB Halle

3

004 758 501



*56*









QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN

EXCEPTIO SENATVS CONSVLTI  
MACEDONIANI LOCVM  
HABEAT IN CAMBIO  
FILIIFAMILIAS

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE

CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.  
SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO  
DIE XIX. IVNII ANNO MDCCCLXXIII  
DEFENDET

CAROLVS FERDINANDVS SENGEVVSCH  
OSTERFELDENS.

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

